37

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DYSENTERIA

QVAM

FAVENTE SVMMO NVMINE

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICORVM SENIORE

ET h. t. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

MORE MAIORVM RITE CAPESSENDIS

Ad d. Maji MDCCXXXIV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIT

AVCTOR

ANDREAS SOTERIVS

CIBINIO-TRANSILVANVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis Ioh. Christ. Hilligeri, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICA
DE

DYSENTERIA.

PROOEMIVM.

Quum nuper inter familiares sermo incideret de copia ingenti dissertationum medicarum, quæ intra non adeo longum tempus in Germaniæ Academiis prodierunt: non iniucundus sermo tandem in illam quæstionem recidit, vtrum vtilius illi operam collocauerint, qui de rebus frequentissime occurrentibus disputando ingenii vires periclitati fuerunt, an isti, qui themata rariora, & minime ab aliis tractata subiecerunt examini. Erant, quibus videbatur, non esse recoquenda, quæ toties iam cocta &

concocta sunt: adeoque operam ludere, qui de epilepsia, febribus, aliisque argumentis, quæ proxime a doctissimis & excellentissimis viris in arte Machaonica tractata fuerunt, vellet differere: quum fieri non posse videatur, vt quicquam noui proferatur; aut si quis nouum quid afferat, videndum esse an consultum sit, ea sollicitare, quæ bene posita, & pro ratis ac firmis sunt accepta. Iidemque existimabant longe optime feciſſe, qui nondum in cathedram prius allata primi omnium proposuerunt: eandemque legem scribendam candidatis putabant, vt specimina inauguralia edant publice ventilando illa argumenta, de quibus nondum alius esset commentatus; aut saltem de illis disputando, quæ in nostra patria & eruditorum lingua nondum essent pertractata. Meam rem maxime agi intelligebam, qui in eo tunc eram, vt decernerem quodnam eligendum esset thema inaugurale. Occurrebant non pauca, de quibus mihi non constabat, quod in Germania dissertationibus academicis sint protrita. Sic *oleum cajeputæ*, *camangæ & limonprutti* famam nuper consequuta, expectant præconem: nouum dysenthericum *Simarouba* forte propediem inueniet laudatorem Latinum, cui gratulabimur, si experientiæ in plurimis respondentis robore hunc corticem commendauerit: vt & aliud *antidysentericum nouum Americanum*, nuces videlicet rugosis albicantibus striis variegatæ, iam satis diu expectant virtutis suæ disertum interpretem. Quid dicam de *placentis Catacambræ*, *corticibus Jubaba*, ancipitis periculi pleno semine Mexicano *Sabadilli*, gummi, an resina? *Kikekunemalo*, balsamo *Rackastra* & compluribus aliis exoticis, quæ digna nostratium medicorum curiositate videntur,

vt

vt æque ab omnibus noſcantur, ac alia per doctas commentationes in familiarem officinarum vſum deducta. Equidem vt cupide legam, ſi quis certa, quæ nos doceat, de talium veris viribus & recto vſu habuerit: ita imparatum me ab illis copiis, quæ ad hanc rem requiruntur, agnoui, planeque conſultius exiſtimaui ſi in illis ſubſiſterem, vbi ſe maior ad certam cognitionem perueniendi facultas offert, & vtilitas non minima, ſi recte cognita perſpicue proponantur. Circumſpexi itaque argumentum aliquod, de quo ſcribere tentarem, practicum: quumque dyſenteriæ multis hominibus infeſtæ, nec paucis funeſtæ ſint; de hac potiſſimum commentari volui, quum & ipſe, quod Plato ad medicum perficiendum inprimis vtile iudicat, grauiter illo morbo aliquando laborauerim, & inter non paucos eodem correptos verſatus fuerim. Huius itaque veram indolem, cauſasque ſcrutari, quæque ad vincendum illum faciunt, conquirere & concinno ordine exhibere anniſus ſum. Noua non promitto, ſatis quippe habiturus ſi vetuſtæ experientiæ veſtigia diligenter legere & veras rationes aſſequi licuerit.

§. I.

Nominis conſideratio.

DYſenteriam, nomine a Græcis accepto, dicimus illum morbum quem Latini *tormina* vocarunt, teſte ampliſſimo & terſiſſimo Romanæ medicinæ ſcriptore CORNELIO CELSO *Libr. IV. cap. 15.* cui bene conuenit SCRIBONIVS LARGVS, qui & torminum nomine alias vtitur, & §. LXXXV. dyſentericos eſſe torminoſos, tanquam interpres docet. Græcum

nomen retinet CAELIVS AVRELIANVS, quo & ipso CICERO aliique Latinæ linguæ auctores vsi sunt. *Torminosum* vocant illum, qui torminibus laborat, aut qui ad illam passionem valde proclivis est. Videntur *tormina* a *torquendo* dicta, vt Græce στρόφοι, a verbo στρέφειν quod etiam torquere valet. Græci nominis etymologia a δυς, quod in compositione prauitatem notat, & ἔντερον *intestinum*, facile patet: eam Cælius Aurelianus sic explicat: a difficultate officii passio nomen accepit dysenteria. *Morb. chron. Lib. IV. cap. 6. pag. 524.*

§. II.

de homonymia. Dysenteriæ nomen satis quidem constanter vni morbo tribuitur: videtur tamen aliquando etiam homonymice poni pro diarrhœa. Sic HIPPOCRATES *Epidem II. Sect. VI. p. 710.* meminit δυσεντερίης ἄνευ ὀδύνης, *dysenteriæ doloris expertis:* quod manifestam contradictionem inuoluere videtur, nisi intelligas diarrhœam, seu profluuii alui id genus, quod neque sanguinolentas habet excretiones, neque dolorem, nisi forte tolerabilem & fugacem: ita doctissime ad illum locum differente JO. ANTONIDE VAN DER LINDEN *Select. medic. VII.* §. *65.* cum quo fere conuenit Celeberrimus D. D. HERMANNVS BOERHAAVE *de cognoscendis & curandis morbis aphor. 963.* quando dysenteriam blandam subcruentam biliosam laudat.

§. III.

Definitio veterum. Morbum hunc non vno modo definiunt scholæ medicæ proceres. GALENVS *in definit. med.* hanc tradit: Dysenteria est intestinorum vlceratio cum inflammatione, cruentisque ac fæci similibus secretionibus, aut strigmentis, cum morsu & dolore alui atque intestinorum. Huic non incongrua docet ARETAEVS *Chron. pass. II. cap. 9.* quando dysenteriæ

teriæ vlcera inteſtinorum aperte tribuit. Apertius vero etiam ALEX. TRALLIANVS *Lib. X. cap. 1.* (ſecundum Guinch. Andernaci diſpoſitionem *Lib. VIII. cap. 7.*) ita ſcribit: veteres dyſentericos illos vocare conſueuerunt, in quibus neque iecur eſt affectum, neque alia quædam particula, quæ morbum hunc efficiat, ſed ipſorum tantum inteſtinorum exulceratio exiſtit; quæ ſi negligatur, vlcera depaſcentia, interdum putredinem quoque generare ſolet, & interitus periculum ægro inducere. Et PAVLVS AEGINETA *Lib. III. cap. 42.* Dyſenteria, inquit, eſt exulceratio inteſtinorum. Cui tandem aperte accedit CORNELIVS CELSVS *l. c.* qui intus, inquit, inteſtina exulcerantur. Neque aliter Arabes & ab his deducti viri, qui medio ævo vixerunt: ex quibus paucos adduxiſſe ſufficiat. Sic JOANN. ANGLICVS Sæculi XIV. ſcriptor in *roſa Anglica pag. m. 430.* dyſenteria eſt fluxus ventris humoralis cum excoriatione vel ſolutione continuitatis inteſtinorum. Cui addimus *lilii medicinæ* auctorem BERNH. de GORDONIO qui fluxum eſſe ſanguineum cum excoriatione & vlceratione inteſtinorum, docet *practic. V. cap. 4.* Atque ANTON GVAINERIVM qui fluxum ventris ab hepatis venarum diſruptione aut inteſtinorum ſubſtantiæ raſura, ſeu vtrisque prouenientem edicit. Atque hi omnes in eo conueniunt, quod exulcerationem ſeu continui ſolutionem in inteſtinis agnoſcant, indeque dolores, ſtrigmenta, deiectiones ſanguineas tandemque purulentas, & fœtidas deducant. Febris inflammatoriæ rationem vnus tantum GALENVS habuit, idque in vnico loco quem adduximus ex non indubiæ genuinitatis libro: quum etiam alii, qui ipſum maxime ſequuntur, veluti JO. GORRAEVS *in Defin. med.* quaſi eius mentionem huc non pertinere crediderint, omnino de febre ſileant: quum Cicero tamen ex hominum

minum non medicorum iudicio, propterea a dysenteria abesse iudicatus fuerit, quod ipsum sine febre conspexerint: *epistol. famil. VII. 26.*

§. IV.

Definitio methodicorum.

Longius ab his abit CAELIVS AVRELIANVS *tard. pass. IV. cap. 17.* quando dysenteriam definit *intestinorum rheumatismum cum exulceratione.* Quid rheumatismum dicat hic auctor, cognoscere licet ex *tard. pass. Lib. II. cap. 7.* vbi superantem defluxionem, id est vehementiorem, quam in catarrhis adest, eum definit. Sed non valde immorabimur huic auctori, vtpote cum omni methodicorum schola liberius artis vocabula ab antiquis accepta in alium sensum adhibenti. Inferius tamen ad illum commode reuertemur.

§. V.

Definitio recentiorum.

Recentiores auctores, magis quam veteres illi, respiciunt ad inflammationem. Sic ZWINGERVS in theatro praxeos *pag. 342.* definit *intestinorum, inprimis tenuium, hinc & crassorum inflammationem, atque exulcerationem cum deiectione frequenter cruenta, purulenta, acerrimo ventris dolore ac torminibus, nec non tenesmo molestissimo, nunc cum febre continua maligna, nunc sine eadem hominem affligentem.* Neque alia via incedit Celeb. D. D. BOERHAAVE, quippe qui omnem dysenteriæ doctrinam eo capite absoluit, quo intestinorum inflammationes pertractantur. Si quid video, vnus vir magnus & in obseruando maxime tam sedulus, quam accuratus, THOM. SYDENHAMVS effecit, vt ad morbi huius naturam inquirendam maior industria conferretur. Hic enim consideratis multorum annorum se se mutuo consequentium epidemiis morbis, & in his dysenteriæ etiam diuersissimam faciem contemplatus; illud quidem in genere didicit, febrem esse hunc morbum sui generis, in intestina introuersam,

trouerſam, hoc eſt inflammatoriam: & varias enaſci dyſenteriarum ſpecies, perinde vt ſunt variolarum & epidemiorum aliorum diuerſis conſtitutionibus propriæ, nec vnquam accurate ſecundum omnia conuenientes cum prægreſſorum annorum epidemiis: vide *Opuſc. Sect. IV. cap. 3.*

§. VI.

Supereſſet, vt nunc daremus definitionem dyſenteriæ. Cum vero morbi proteiformis & multiplici facie incedentis difficillima ſit definitio; inhærebimus illi ex b. D. D. ZWINGERO allatæ, potiusque dabimus operam vt hiſtoriam eius ex optimorum virorum obſeruationibus contractam, ob oculos ponamus. Exoritur autem populariter, atque rariſſime ſola conſpicitur. Tempori adſtricta eſt, & menſibus Julio, Auguſto & Septembri ita inhæret, vt vix extra illos aut emicet aut vlterius perduret, niſi tempeſtatum ratio valde ſit inuerſa. Rarum eſt admodum, teſte SYDENHAMO vnum fortaſſe aut alium videre, quem hic morbus tempore veris inceſſat: memoratque D. D. GOHLIVS vnicam ſibi viſam fuiſſe puellam, quæ menſe Decembri eadem correpta fuit, ſed minime pertinaci & continentia quieta & calida facile ſuperabili. Quo magis hyems accedit propius, eo certius hic morbus cedit: quoque magis ad occaſum vergit, eo magis in dies a ferocia remittit, atque vt SYDENHAMVS loquitur, craſſa ac humoralis redditur. Magis vulgatur ferociusque deſæuit, vbi in multitudinem hominum frequentes vrbes inhabitantium, aut caſtra militum incidit, præſertim nec optime locata, nec neceſſariis præſidiis ad victum commodum inſtructa, quam in pagis aut locis editioribus, quo non facile peruenit, niſi contagio transferatur.

Hiſtoria morbi.

§. VII.

Diuerso schemate ingruit.

Non autem omnibus vno eodemque modo ingruit. Quibusdam, qui se fructibus horæis intemperantius ingurgitauerunt, præsertim præcocibus, aut nondum satis mature percoctis, illisque superingesserunt potus non optimos, vappidos, aut fermentescentes, superueniunt cardialgiæ, inflationes, motus vomitorii, flatus superius cum ructu & inferius vtrobique cum leuamine, erumpentes. Venter ac intestina vehementer dolent, inflantur & distenduntur, febris accedit cholerica. Si quid vomitu difficillimo emoliuntur, spumosum & bilioſum est, colore saturate viridi: qui vomitus subinde recurrit, neque tamen leuat pro ratione. Atque talis fuisse videtur cholera ista epidemica, quam describit SYDENHAMVS *Sect. IV. cap.* 2. quæ intra hæc toto anno mansit, nec ad deiectiones peruenit: planeque credo huius generis fuisse illam febrem quæ MDCCXXVIII. per Voigtlandiam & Franconiam ac Palatinatum superiorem mense Julio & Augusto frequentissima grassabatur, multosque ad mortem ducebat, passim succedente deinceps vera dysenteria deiectionibus ordinariis conspicua. Aliis illico a prægressis talibus, sed & multis citra illorum culpam, cuius meminisse possint, exoritur laxitas alui, vt & frequentius desidere cogantur, & liquida deiiciant tanquam diarrhœa simplici laborarent: sed accedunt mox torsiones abdominis, & sedis quasi morsus, qui indies inualescunt, & teneſmum intolerabilem producunt. Hæc inter debilitas, tandem verus languor subrepunt, appetitus prosternitur, materia tenuis albuginea mucosa subflaua & olens deiicitur, sæpe sine stercoribus: quibus aliquando verorum stercorum depositio sine dolore interponitur. Mucosis interspersæ sanguinis striæ viſuntur; non raro sanguis dilutus instar carnium lotu-

ræ;

ræ : quin interdum ſanguis ſincerus, modo nigricans, modo floridus plus minus copioſus.

§. VIII.

Diuerſitas in ſtatu.

Quibus mediocris eſt morbus, illis orthoſtadiam ſeruare ſic ſatis licet, quamuis a commotionibus febrilibus neutiquam immunes ſeſe ſentiant. Sed ſæpe præſertim vbi circumfuſus aer plus inquinamenti ſuſcipit, & corporibus communicauit, febris dyſenterica continua maligna, periculi pleniſſima, accedit, cum virium proſtratione maxima, aphthis, delirio iuncta, quæ morbum ſeipſo longe faciunt magis & grauem & periculoſum. Sitis vrget per totum morbi decurſum : ſed potus actu frigidus manifeſte eos lædit : vt & frigus externum ano admiſſum teneſmi ferociam inſigniter intendit. Quoque magis quisque ſibi ab admiſſione aeris cauere, & lecto ſemet leuandi neceſſitate ſuperſedere poteſt, eo mitius omnia decurrunt, celeriusque ad finem optatum deducuntur, quem aliqui altera hebdomade vertente, alii vertente menſe demum conſequuntur. Haud tamen pauci ſuccumbunt, quibus vel grauiores morbi cauſæ copioſius inhæſerunt, vel curatio nimis dilata, vel peruerſa omnino adhibita fuit, vel febris maligna dyſenteriæ comes exitium attulit.

§. IX.

Dyſenteriæ differentiæ.

Diximus ſuperius in omni dyſenteria per ſe adeſſe inflammatoriam inteſtinorum diatheſin, adeoque febrem eſſe ſui generis : ſed aliquoties fieri, vt ad illam accedat febris quædam acuta, maligna, inſidioſa, ad hemitritæorum indolem accedens, obſeruante LINDANO apud GOHLIVM *pag.* 234. laudato. Hæc febris vt ſe plerumque comitem præbet dyſenteriis, citra tamen deiectiones in aliquibus deprehenditur : iamque ceſſantibus, appetente frigore brumali,

deiectionibus & torminibus, perdurat, quin aliquando maiores vires sumit, & cum variolis ac morbillis subsequentibus vicem mutat. Hac obseruatione nititur valde notatu digna differentia dysenteriæ simplicis & benignæ, eiusdemque complicatæ ac malignæ. Distinguitur etiam excretæ materiæ ratione in albam, quæ tantum materiam mucidam & viscidam, cum grauissimis torminibus emolitur, & rubram seu sanguinolentam, quæ priori plerumque longe minus grauis & periculosa cognoscitur: nisi illico magna sinceri sanguinis copia prodit: quippe quod sine maiorum vasorum insigni erosione fieri non posse intelligitur.

§. X.

De sede morbi. Sedem seu subiectum huius morbi facile deprehendimus intestinorum canalem, qui in tenuia & crassa intestina diuiditur. Sunt auctores qui sollicite & ad vnguem definire audent, an in solis intestinis crassis, an vero simul etiam in tenuibus ille subsistat: enimuero tam acuratissimam coniecturam facere vix licebit. Nam si vt deinceps videbimus causa epidemica, quæ per esculenta potissimum potulentaque corpus subeunt, ad morbum producendum valent: facile cognoscitur totum tractum hic debere pati non excluso ventriculo ipso, quem in hoc morbo non immunem labis esse posse grauissime docet Illust. Dom. PRAESES *Med rat. syst. Tom. II. pag. 117. 118. §. 13.* schol: Quæ vero illarum in progressu mali magis passa & exulcerata fuerint, ex sede doloris, & excreti sanguinis colore præcipue cognoscere iubent. Nam si tormina vmbilicalem regionem acriter vexant, aut supra vmbilicum desæuiunt, tandem subsequente deiectione, tenuia potissimum pati cognoscimus: si tractum coli sequuntur & per latera abdominis excurrunt, citoque stimulus deficiendi subsequitur; suspicari de crassis licet. Itemque si

sanguis

sanguis floridus, tenuis prodit, ex loco proximo venire eum vero est simile: si vero nigricans iamque obsoletus excernitur, altiorem scaturiginem prodit.

§. XI.

De partibus simul laborantibus.

Sed non intestina tantum vitium hic fouere, sed ad vasa & capsulam bilis, forte etiam pancreas, illud excurrere, multa fidem faciunt. Nam non solum sectiones dysenteria mortuorum testantur folliculum bile caruisse, & loco eius materia inerte quasi chylosa repletum fuisse: verum etiam illud confirmant successiones morborum: quippe sæpissime videmus, dysenteriis popularibus iam cessantibus, multos succedere icteros, eosque valde contumaces, & in ipsa curatione ea, quæ bilem supplent, operæ haud exiguum pretium facere deprehenduntur. Porro mesenterium hic multum affici docent facti in ipso, & post mortem inuenti magni abscessus, qui sæpe vicinas quoque partes putredine infecerunt, & corruptam materiam, facto in lumbis abscessu, excluserunt. Quin totam humorum massam vitio insigni corruptam esse, docemur ex eo, quod matres & nutrices labem per lac communicant sugenti proli. Notabilis in hanc rem legitur obseruatio Illust. BRVNNERI A.N.C. *Dec. II. Anni 6. pag. 392.* vbi refertur de femina lactante, quæ amissa prole, quo lactis copiam minueret, catellum mammis exsugendis adhibere cogebatur, quo mox conuulso & mortuo, alter, itemque tertius, adferebatur, eodem fato extinguendus.

§. XII.

De causa dysenteriæ.

Progredimur ad causas dysenteriæ indagandas. Patet autem eam esse quærendam, quæ morbi phœnomenis, quantum fieri potest, sufficienter explicandis inseruiat, & præcipue rationes popularis grassationis, facilisque per con-

tagium propagationis animo subiiciat. Quod quam sit arduum & difficile in omni popularium constitutionum genere, iam diu est agnitum a viris maximis, quos non puduit aperte profiteri, se plane ignorare, qualis illa sit aeris dispositio, a qua morbificus hic omnis apparatus promanat. Sufficiet itaque nobis illud comprobasse, quo pacto sese exserat & manifestet commune vitium in aere oberrans, & cum illo ad plures simul vno eodemque tempore transiens. Illud autem satis clarum existimo intuenti, quam certa & definita morbus seruet tempora, intra quæ venire & discedere solet: quibus solis causæ illæ, quæ alias alui fluxus inducere simplices solent, eam naturam torminosam induunt, vt dysenteriæ veri nominis enascantur, quin ad illos quoque propagentur, qui nihil causarum illarum remotarum in se admiserunt. Accedit eo, quod multi sæpe anni transeant, quibus homines nulli omnino dysenteria corripiuntur, quantumuis non abstineant illo victu, qui alio tempore omnem exortæ dysenteriæ culpam sustinere debet.

§. XIII.

De aeris vitio & diathesi caustica maligna.

Illustre decus Italiæ LANCISIVS in doctissimo, quod *de noxiis paludum effluuiis* reliquit, opere institutis experimentis pluribus illud vero reddidit simile: salis caustici animalis naturam æmulari illud miasma venenosum, quod epidemicos morbos malignos super regiones amplas longe lateque diffundit: illiusque originem etiam atque per complures gradus incrementum & intensionem ostendit. Idem argumentum solidissime, &, vt omnia solet, perspicue tractauit Illust. Dom. PRAESES, patronus & præceptor meus perpetua pietate colendus *Med. System tom. II. part. II. cap. 4.* Atque vt fidem Viro perspicacissimo habeamus, facit erosionis, tamquam a sale caustico animalium, vt cantharidum, conspi-

conſpicuus euentus in ore, faucibus, inteſtinis. Enimuero nondum inde cognoſcimus, cur ceteri morbi populares, perinde vt dyſenteriæ, numquam ſibi per omnia ſimiles, diuerſis annis obſeruentur: vereque dixiſſe SYDENHAMVM comperimus: quisquis ille fuerit, qui in ſe receperit hæc omnia & multifarias naturæ operationes indagare, partim magnis auſis excidet, neque voti per omnia compos reddetur.

§. XIV.

Popularis graſſationis cauſa.

Si tam parum cognoſci natura huius miaſmatis a nobis poteſt; proinde tamen non inutile eſt, ante oculos illud crebro habere poſitum, & conſid rare, quam halituoſum, tenuiſſimum & ab omni craſſo conceptu remotum atque alienum ſit, quod tantas turbas excitat: quo animus auertatur a quærendis fortioribus & impetuoſis medendi modis, qui morbi indoli non quadrant. Idem cognitum reuocabit nobis in memoriam obſeruationem ad omnes epidemios morbos pertinentem: quod vbi primum e naturæ ſinu emergunt & exſiliunt, principio magis ſpirituoſo ac ſubtili inhæreſcant, quam vbi iam adoleuerunt: quoque magis ad occaſum vergunt, eo magis in dies craſſi atque humorales fiant: ex quo conſequitur, nihil magis ad leuandum morbum facere, quam quod inuoluere halituoſum iſtud, & incraſſare valet, vt ab excretoriis capi & foras eliminari poſſit. Sed de his deinceps diſpiciemus. Nunc pauca addimus de contagio, ſeu illo modo, quo morbus hic ex corpore affecto ad ſanum propagatur, ſi vel eodem lecto decumbat, vel alias ita prope cum ipſo verſetur, vt effluuia ab ægrotante in aerem circumfuſum emiſſa, alterius ſani corporis poros ſubeant, perque illos in humorum maſſam delata, ſimilem motum corruptiuum inchoent & propagent. Tale quid fieri non poteſt,

potest, nisi materia exhalans sit maxime actiuæ & halituosæ indolis: quo ipso ad communem ideam illius maligni epidemii, in hoc quidem morbo facile referri potest.

§. XV.

Modus quo in intestina agit causticum aeris vitium.

Esse hoc miasma causticum, per aerem in corpus delatum, indolis eiusmodi vt in humoribus intestinalibus motum fermentatiuum, irritatiuum & solidas extremas fibrillas neruorum atque vasculorum, a quibus tunica villosa constituitur, arrodentem producat, docet tormentorum vehementia, atque mucosa spumida deiectio, cui in progressu morbi strigmenta & caruncvlæ intermiscentur cum sanguine, qui per arrosa effluxit. Illa dolorum vehementia ex eo potissimum prouenit, quod nerui, sensu acutissimo præditi, vellicantur: vnde constrictio spasmodica ad propinquas partes, ductus bilarios, mesenteriumque producitur, sicque bilariorum ductuum quasi scaturigines constringuntur, vt secretio laudabilis cesset; ductus autem hepatici, cum cystide crebrius constricti exprimunt omne, quod continuerant, fellis; vnde non mirum, si longo tempore, antequam ille spasmus cesset, defectus bilis variis indiciis cognoscitur. Bile ad chylum laudabilem conficiendum tam necessaria, nunc cessante, chyli confectio cessat: cumque omne mesenterium atrocem spasmorum vehementiam sustineat, fieri non potest, quin chyli, lymphæ, sanguinis vasa omnia, toties arctissime stricta, motum humorum valde impeditum, sæpe interruptum & peruersum experiantur: vnde ad inflammationem aut scirrhosam indurationem via paratur: per partes autem iam exulceratas tanto magis elabitur, quicquid a progressu impeditum est.

§. XVI.

De ceteris dysenteriæ causis.

Venimus tandem ad considerandum ea, quibus a paulo vetustioribus scriptoribus omnis fere culpa dysenteriæ adscripta

pta eſt. Ita videmus frequentiſſime accuſari fructus horæos, modo omnes, modo certos, vt pruna cerea ſ. flaua, mala Armeniaca, perſica, melones, pepones, olera, acetaria, cucumeres, uvas etiam & muſtum, aliosque potus fermenteſcentes, non probe fermentatos aut vappidos. Et ſane certum eſt, ſæpe viſum fuiſſe, quod in illis, qui ſe talibus intemperantius impleuerunt, dyſenteriarum epidemiarum ortus primus emicuerit. Enimuero cum aliis annis non minus intemperantes circa talium vſum videantur homines, plebeii & pauperes, facile cognoſcitur cauſam adæquatam dyſenteriæ hic non inueniri. Facile largior, diarrhœis inducendis talia ſufficere, in quibusdam etiam choleræ: niſi autem vniuerſalior cauſa in aëre obuerſans acceſſerit, ad dyſenteriam producendam minime valet. Tali accedente, & per rorem ac pruinam in fructus & olera inſinuata in ſubiecto cetera ad morbum ſuſcipiendum comparato plus omnino valent, quam ex ſua natura potuiſſent. Idem iudico de purgantibus vehementioribus, ex quibus ſeorſim colocynthis adeo infamatur, vt quidam auctores miaſma aëris cauſticum quod ſupra indicauimus, colocynthiacum vocare voluerint. Non nego vehementer agere colocynthidem minus prouide datam: ſed ſi vnquam viſa eſt vera dyſenteria ab hoc purgante inducta, inde accidit, quod homini in conſtitutione tali aeris improuide data fuit. Nec parui nominis viri adamantem intro ſumtum inter cauſas dyſenteriæ ponunt, ſi ſcilicet non minutim tritus fuerit vid. ETTMVLLERI *Colleg. Pract. cap. III. artic. I. p. 150.* quod tanto magis miror, quum ab aliis minutiſſime pulueriſatus pro dyſenteriæ cura adhibitus fuerit, & tanquam optima aduerſus illam laudetur antidotus vti refert WORMIVS *in Muſ. pag. 103. vbi de adamante.* Equidem adamantem venenum eſſe, & dyſenteriam immedicabilem inducere

inter speculationis ludibria illo loco pono, quem gemmæ dignitas sibi inter ceteras merces pretiosas deposcit.

§. XVII.

Quid simplex aeris intemperies ad dysenteriam conferat.

Quemadmodum igitur victus vitia inter causas dysenteriæ locum non maiori iure obtinent, quam quod corpora præ ceteris adsuscipiendum miasma aereum disponunt: ita sunt plures causæ, quæ subesse aut incidere possunt corpori, per se non tantæ, vt concitent morbum, cum aliis autem concurrentes, eundem citius inducentes, & seipso maiorem peioremque reddentes. Huc autem refero aeris quoad temperiem caloris & frigoris crebras vicissitudines, homini iam adfecto ineuitabiles. Frequentissime hoc accidit militibus in castris degentibus, autumno iam appetente, præsertim in Hungaria & Italia, quæ regiones ad meridiem propius positæ magnos interdiu æstus tolerant, noctibus autem, vtpote longioribus, quam in his terris, refrigerationem & magis sensibilem & longiorem perferunt. Eam vero, qui euitare, sibique æquabilem, ac temperatum calorem procurare nesciunt, vtique grauissime ab hoc morbo vexantur ac difficillime mortem effugiunt. Frigus enim superficiem corporis densat, porosque occludendo diffiationem halituosæ materiæ interrumpit, ac supprimit: vnde humores omnes tanto magis ad intestinorum canalem ruunt, ibique morbi ferociam intendunt.

§. XVIII.

Quid aer insuper corruptus faciat.

Neque solum intemperies aeris in corpora per vices agens morbum sensibiliter intendit, verum etiam illius impuritas, & nebulosa, humida constitutio. Impuritatem dico, quando in proximo adsunt, quorum effluuia noxia atmosphæram replent, vt aquæ stagnantes atque corruptæ, corporum putrescentium copia, excrementitiarum sordium multitudo; quæ singula quando intra aeris poros recepta,

corpori

corpori iam antea morboſo allabuntur, non ſolum beneficio, quod a puro aere accipitur, illud priuant, verum etiam nouam malignitatem adferunt, quæ febrem accendit admodum malignam, quam caſtrenſem vocamus, ad petechias inprimis ſpectantem. Conf. Illuſt. Dn. PRAESIDIS *Med. Syſt. Tom. II. Part. II. cap. 3.* Hinc plane deploranda fit militum maxime conditio, quibus tunc vel prudentiſſimus, & per omnia verſatiſſimus medicus vix ſatis conſulere poteſt, tantum abeſt, vt ſalutem affere poſſint, in quorum manus plerumque incidunt, medicaſtri, tonſores, agyrtæ: quam calamitatem, ſi quisquam alius, diſerte expoſuit TOBIAS COBERVS in obſeruationibus caſtrenſibus.

§. XIX.

Aetiologia ſymptomatum.

Morbum ſeipſo grauiorem reddi, quando plura deficiunt, quæ ad ſupprimendum vincendumque eum initio valebant, intelleximus. Videamus nunc quo pacto ipſius ſymptomata augeſcant, & nouas læſiones inducant. Halituoſum miaſma indolis cauſticæ animalis, eroſiuum, in inteſtinis facit acres dolores, & fibrarum contractiones, ſeu ſpaſmodicam fere conuulſiuam ſtricturam. Sub hac conſtringuntur excretorii apices tunicam villoſam conſtituentes, eadem lege, qua in exteriori ſuperficie ita conſtricta, pori clauduntur. Idem ſi fiat in externo habitu, vt ibi nihil prodeat, ob frigus externam ſuperficiem conſtringens, ex ordinaria naturæ lege feruntur humores ad interiora. Sed & hæc arcte conſtricta exitum non permittunt, ſaltem non facilem, æquabilem, & perpetuum: hinc celluloſa tunicarum inteſtinalium ſpatia, quæ recentiorum anatomicorum induſtria conſpicua reddidit, detenta acri halituoſa materia inflantur, replentur, in tumorem attolluntur: qui ſi non reſoluatur, vt incluſæ materiæ exitus fiat, collecta ſenſim

maiori quantitate abscessum ibi format: torminosæ autem fibrarum agitationes, & quasi affrictus mutui in musculari tunica, tandem vi exprimunt aliquid, ipso diuturno attritu consumta & perrupta villosa tunica, per miasma causticum iam antea arrosa, vnde exulcerationis initium. Hoc, ni fallor, intuitus NICOL. PISO *de morbis cognosc. & cur. libr. III. cap.* 15. scripsit: *humorum acrium impressio ei similis est, quæ circa externam cutis superficiem contingit, a qua papulæ quædam feruidæ & exulcerationes perficiuntur.* Idemque voluisse videtur FERNELIVS, quando causam morbi dicit *acrem purgantemque humorem, qui non recta, sed per anfractus in intestina, vi quadam delatus & infixus, ea exulcerat & acrimonia rodit.*

§. XX.

Consideratio excretorum.

Facta hæc exulceratio per ipsum torminosum attritum ex strigmentorum deiectione cognoscitur, quæ valde similia videntur illi, quod lanliones intestina repurgantes ab illorum interna superficie abradunt. Sed aliquando maiores quædam portiones prodeunt, vere carnosum quid apparentes, quod HIPPOCRATES *Sect. IV. aph. 26.* vt & CORN. CELSVS, iam notauerunt. Forte hoc est, quod recentiores auctores intelligunt, quando tumefactas glandulas & morbi progressu separatas & eiectas commemorant: de quo, quid affirmem vel negem, nihil certum habeo. Suo glandulas PEYERIANAS ab inuentore dictas, ab eodem ostendi, quod facillime possint exulcerari; sed quo pacto omnino separari & expelli possint non bene capio, ideoque rem totam de glandulis in medio relinquo.

§. XXI.

De tenesmo dysentericorum.

Quando diximus acres dolores, qui fibras intestinorum lancinant, & agitationem ac quasi affrictum mutuum producunt,

cunt,

cunt, ad morbum grauiorem reddendum & exulcerationem producendam maxime valere, eodem ipſo iam deſignauimus illum, qui in hoc morbo fere moleſtiſſimus eſt, teneſmum, ſeu perpetuam & implacabilem inteſtini recti ad deſidendum ſtimulationem. In dyſenteriis, niſi me omnia fallunt, idem, quod inteſtino recto, vtpote tunicis craſſiſſimis prædito, tam eminenter accidit, ceteris etiam ſuperioribus inteſtinis inhæret, ſcilicet motus periſtaltici expulſorii exacerbatio & deprauatio grauiſſima, quæ ad exulcerationem promouendam & augendam quantum valeat, ex dictis iam patet. Idem moleſtus motus non raro ad veſicam & vrethram propagatur: meminique caſus ab Excell. D. D. SCHVLZIO, fautore ac præceptore meo ſumma veneratione colendo, *in prælectionibus pathologico-practicis* relati, de quodam viro acerbiſſimo funeſtoque teneſmo laborante, qui cum vrina expulit membranaceum quid, quod monetæ Saxonicæ, quæ quartam groſſi partem facit, magnitudinem æquabat, quodque accuratius per microſcopia etiam conſideratum, nihil aliud cognoſcebatur eſſe, quam membranæ portio a veſicæ collo detrita.

§. XXII.

De diagnoſi morbi.

Atque hæc de pathologica dyſenteriæ conſideratione hactenus dicta ſufficiant. Progredimur ad ſigna huius morbi, tam illa, quæ efficiunt, vt ab aliis morbis, ſimilitudine aliqua affinibus, diſtinguatur, quam hæc, quibus de euentu eius vel ſalutari, vel funeſto præmonemur. Et primo quidem dyſenteria a fluxu quouis alui acri, bilioſo, laborioſo, per medicamentum incaute datum, aut incongruum victum concitato facile diſtinguitur eo, quod prægreſſa hæc examine diligenti reperiuntur, quouis anni tempore fit, & neminem, niſi ſic errauerit, corripit, nec contagio propagatur.

Videtur sane multoties dysenteriæ nomen adhiberi ad designandum quemlibet promiscue alui fluxum dolorificum & torminosum: quod facit, vt multa sit occasio aberrandi in curatione, de quo deinceps. Passio Iliaca acutum quidem tormentum habet, sed alui pertinaci strictura, & motu peristaltico inuerso, ac ad superiora fæces propellente, dignoscitur. Hæmorrhoides quoque torminosæ tenesmoideis doloribus dysenteriam mentiuntur, sed extra tempus dysenteriæ proprium promiscue oboriuntur, & nihil spumidum, male olens aut vlceroſum emoliuntur; sanguine etiam copiosius proueniente mitescunt: quum in dysenteria tanto fere augescat malum, quanto copiosius sanguis profluit.

§. XXIII.

De prognosi morbi.

Dysenteria tolerabilis & in suo genere benigna est, sub qua orthostadiam qualitercunque seruant ægroti, nec febri grauiori cum insigni virium prostratione laborant. Mitius decurrit morbus ab ingurgitatione ciborum exortus, quam qui solo aeris infecti vitio aut contagio propagatus fuit. Nunquam non malum est aphthas oriri, & potum cum sonitu in ventriculum, tanquam aliquid graue delaberetur, descendere: deploratus est, cui tormina subito conquiescunt, languor tamen remanet, & singultus hacelum iam lethalem adesse hinc cognoscitur. Carunculas secedere non optimum est, paucique, quibus hoc accidit, periculum aufugiunt. Appetitum manere, viresque non omnino collabi spem maximam præbent: sed extrema continuo algere, nunquam lætabile signum habetur. Qui inter affectos versantur, & initia mali illico supprimunt continuo adstringentium & anodynorum vsu, sæpe in febrem malignam petechialem, funesti fere euentus, semet differunt: talem casum, Excell. D. D. SCHVLZIVM in prælectionibus suis, nobiscum communicasse memi-

memini: ſi qui vero iam exortam dyſenteriam nimis cito expugnant copioſe ingeſtis adſtringentibus, aliisque euporiſtis ſpecificis creditis, inſuper habita halituoſi illius cauſtici emendatione & eliminatione, abſceſſus iuxta coſtas, aut in viſceribus fiunt, aut iſchiadici dolores graues exoriuntur, itemque articulares quod HIPPOCRATI *prædict. II.* §. *XV.* iam proditum a CAELIO AVRELIANO *chron. V. cap. I.* repetitur. Abſceſſus ex tali cauſa orti exemplum legitur in Illuſtr. FRID. HOFFMANNI *Med. Conſult. Part. I. Dec. II. Caſ. 9.* Quibus vero morbus recte percuratus deſiit, iis inteſtina firmiora, neque facile poſthæc alui fluxibus obnoxia obſeruantur: fereque a medicinis purgantibus minus facile mouentur, doſinque earum non ſolum aliis eiusdem ætatis ac conſtitutionis maiorem ferunt, ſed maiorem etiam, quam ante morbum perpeſſum iidem perferebant.

§. XXIV.

Videamus nunc, quid morbus hic, vt ad ſalutem decurrat, poſtulet, quasque indicationes medicus præfixas animo habere debeat. Redeunt autem eo omnia, vt I. materiale noxium, ſi in primo morbi principio vocamur, breuiſſima via eliminetur. II. Halituoſum miaſma inuoluatur, ſimulque inteſtina communiantur. III. Torminum ferocia conuenienti medicina infringatur & demulceatur. IV. Vt per omnia excretoria, quicquid humores infecit & ſubiit noxium, eliminetur. V. Vt bilis defectu commode ſuppleto chylificationis negotium inſtauretur, viresque ſuſtineantur. VI. Vt exulceratis inteſtinis prouideatur. VII. Vt ipſemet fluxus quamprimum tempeſtiuum eſt, tutiſſima ratione compeſcatur. VIII. Vt febris malignæ acceſſoriæ ratio, per totum morbi decurſum, ſecundum proprium ipſius genium, habeatur. *Indicationes curatoriæ.*

beatur. Quo vero pacto singulis his scopis satisfieri posse existimem, deinceps ordine exponam.

§. XXV.

Materiale noxium eliminandum vel per superiora.

Prima indicatio locum in illis tantum inuenit, qui pasti fructibus horæis, aut oleribus, mox ab eorum vsu male habere se sentiunt, & dysenteriæ tunc grassari solitæ primordia hæc esse verentur. Tali casu inprimis vtilis est vomitus per hipecacuannham excitatus, qui in progressu morbi, & vbi iam ventriculo egressa est materia, parum valebit. Datur per se puluis recens comminutus: nam qui diu iam puluerisatus stetit, mirum est, quantum segnis in euacuando reddatur. Si parum operetur scrupulus vnus vel grana XXV. addatur secure granum vnum tartari emetici, quin, si debilior sit, & ex croco metallorum factus, etiam alterum. Ex ea coniunctione hic resultat fructus, vt peracto iam vomitu effectus diapnoicus magis sit vegetus, quippe qui maior ab antimoniata medicina, quam ab vlla vegetabili, obseruatur.

vel per inferiora.

Si assumtorum noxiorum partem maximam ad intestina iam descendisse cognoscimus, vnde vomitorio retrahi amplius non potest, laxantia commoda adhibenda sunt. Laudatur in hunc finem rhabarbarum in puluere datum. Eodem quoque faciunt pilulæ balsamicæ ad modum Becherianarum factæ, quibus tamen non admixtum esse debet extractum ellebori nigri, quippe quod teneſmo, si non adest, promte inducendo nimis efficaciter valet, vtique, si aliquoties repetendus vsus fuerit. Præstat illis vel extractum cascarillæ, vel corticis huius puluerem admiscuisse. Atque hæc initio tantum fieri debent, & in illis, vbi, vt diximus, actu adesse cognoscitur materia noxia per cibos & potus illata. Diu autem inhærere illis non est consultum; quoniam omnis methodus, quæ per aluum ducit, exclusioni diapnoicæ obicem ponit, sicque

ſicque deteriorem ægrotantis ſtatum reddit. Clyſteres etiam ex carminatiuis, ſe bene gerunt hoc initio, dilatam ex ſuperioribus inteſtinis ſaburram excipientes & quantocyus ad exitum deducentes.

§. XXVI.

Halituoſum miaſma inuoluendum.

Vbi nulla neceſſitas, ab euacuatione curationem ordiri cogit, primum & principale in hoc morbo eſt, halituoſum miaſma inuoluere & incraſſare, vt tanto facilius expelli & excludi poſſit. Id in omni morborum a contagio translatorum genere vtiliſſime fieri, veteres iam ſatis probe viderunt, qui in talibus vel terrea quædam copioſe dabant, vel potibus incoquebant virtutem talem poſſidentia. Antiquiſſimum exemplum præbent curationes priſcæ variolarum & morbillorum, in quibus numquam non offerebant decoctum cicerum, lentium, piſorum bibendum: quod hodieque imitantur felices practici, quibus licuit rerum cognoſcere cauſas. Idem voluiſſe ſibi videntur illis ad malignos morbos compoſitis pulueribus, quibus bolum Armenam, terras ſigillatas, raſuram eboris, cornu cerui, coquendo friabile redditum & ſimilia terrea, poroſa, & mucilaginem ex ſe dare idonea, copioſe addiderunt: quamquam calcium quarundam atque adſtringentium nimia in aliquibus quantitas adiecta reprehenſionem apud noſtros meruerunt. Dyſenteriæ talia haud conueniunt, quæ adſtringunt, ſed potius, mucilagine lubricante & inuoluente prædita. Dari hæc variis modis poſſunt: ex quibus vnum alterumue recenſebo. Sitis plerumque eos valde vrget, potumque efflagitat. Talem parabimus huic ſimul indicationi ſatisfacientem ex decocto hordei cum cornu cerui raſpato; huic adiiciemus amygdalas dulces contritas vt emulſio fiat, quæ pauxillo aquæ cinnamomi ſine vino gratior & vtilior fiet. Poſſumus eidem, vt

indicationi quintæ satisfiat, admiscere vitellum oui: cuius polychrestæ potionis gratiam & vtilitatem sæpius laudem promeruisse in Excellent. D. D. SCHVLZII *prælectionibus pathologico-practicis* audiui, vt itaque de efficacia & virtute huius potionis tam a priori, quam posteriori satis convictus sim. Eodem respiciunt commendationes iam satis vetustæ taurocollæ & ichthyocollæ decoctis addendæ, vt & seminis lini & similium, vt pulueris tragacanthi, gummi arabici cum nuce moschata.

§. XXVII.

Vterius hoc ostenditur.

Illustris BRVNNERVS *Eph. A. N. C. Dec. II. Ao. VI. p. 392.* commemorat, aliquem operæ pretium fecisse in dysenteria epidemica exhibito secalis tosti puluere cum vitello oui, mane & vesperi adsumendo. Ex intima artis, sed simplicis & natiuæ, theoria desumtum est remedium, quod iam centum annis BRVNNERO id referente, antiquius esse didicit ex NICOL. PISONE *de morbis cognosc. & curand. libr. III. p. 274.* Sed quid centum annos memoro, quum prope bis mille effluxerint ab DIOCLIS ætate anni, cui id genus curationis familiare fuisse ex veterum monumentis didici. Quidam, sed magis empirici, quam scholæ doctores, adhibent oleum amygdalarum dulcium cum rhabarbaro tosto expresso, idque ex cereuisia calida cum oui vitello bibendum exhibent. Lactis etiam vsum tantum non omnes probant. Et sane reprehendi non debet vllo modo, præsertim si ad coquendas pultes ex farina, fegopyro, oryza, milio adhibeatur, hisque nutriantur decumbentes. Non est hic acidum coagulatiuum, quod lac excludat, sed miasma halituosum salinæ crosiuæ naturæ, quod a lactis pingui parte obtunditur, a caseosa inuoluitur, a serosa diluitur & educitur. Hocque intuitu indicatio-

dicationis illi etiam parti, quæ intestina communire iubet, satis fieri intelligimus.

§. XXVIII.

Tertia indicatio iubet torminum vehementiæ infringendæ ac demulcendæ conuenienti medicina succurrere. Plurimum detrahitur tormentorum magnitudini & ferociæ per tranquillam continentiam & frigoris admittendi cuitationem. Hoc impetrare in illis quibus commodum ministerium præsto est, possumus: sed in pauperculis ac militibus, qui castra sequuntur, difficilius hac parte succurritur. Etiam frigidi potus præsens est efficacia ad tormina augenda: quo ægrotis interdicendum esse per se patet. Facit aliquid ad leniendos dolores infusum calidum theiforme seminis carui, itemque aqua leniter spirituosa chamæmeli & millefolii: extractum etiam, imo simplex puluis corticis cascarillæ cum aliis antispasmodicis. Aliorum iudicio opiata vtramque hic faciunt paginam, sed appropriatis alexipharmacis aut laxantibus debite miscenda. Ex medicamentis officinalibus, opium habentibus, sunt theriaca, quæ addita potiunculis diapnoicis a scrupulo vno ad drachmam dimidiam dari potest: pilularum de cynoglossa granum vnum, duo, vel tria cum pulueribus mixta officium faciunt. SYDENHAMVS hic vsum se profitetur laudano suo liquido, cuius guttas XIV. vel XV. in aqua quadam cardiaca adulto homini dedit; infanti vnius anni guttas duas: tenerioribus gutta vnica pulueri Marchionis adsperſa pro pluribus etiam dosibus sufficit. Monendum tamen, ne nimis larga manu, nimisque crebro talia offerantur: longeque minus probandum esse, si quis integram curationem expectare ab iis solis vellet. Etiam enemata hic faciunt effectum anodynum periculi omnis expertem. Lacti integro incoquantur flores chamæmeli, aut summitates anethi:

Tormina ferocia infringenda.

thi: colaturæ immiſceantur vitelli qui duo. Aut iuſculo carnium mucilaginoſo flores nymphææ albæ & roſarum rubrarum incoquantur: addantur colaturæ iam tepidæ albumina duorum ouorum conquaſſata. Teneſmi ſolamen eſt terebinthinæ vncia dimidia oui vitello ſubacta, & inter enemata mixta: addi poteſt balſami Peruuiani tantillum; etiam ſeuum ceruinum aut hircinum, cum clyſteribus iniectum, laudem meretur.

§. XXIX.

Per omnia excretoria noxium eliminandum.

Indicationi quartæ, vt per omnia excretoria quicquid humores noxium ſubiit, eliminetur, multum conferet toties iam commendata quies & cautela ne ſæpius ſurgendo blanda diapnoe tollatur & interpelletur. Eandem excitare licebit, ſi febris non magna adſit, mane exhibita doſi mediocri mixturæ ex eſſentiis pimpinellæ albæ, caſcarillæ & millefolii concinnatæ: aut ſpiritus bezoardici, quo Illuſtr. Dom. PRAESES vtitur, ad imitationem Buſſiani facti, quippe vtilioris in hoc morbo, quem ſæpiſſime ſubſequuntur exanthematici affectus, ad quos medicinæ reſinoſis vegetabilium partibus imbutæ nimium quantum diſponunt. Quidam pro arcano habent decoctum lumbricorum terreſtrium, tamquam diureticum atque ſimul demulcens & paregoricum: quamquam reuera non tantopere initio mali ſuccurrit, quam primo eius impetu iam fracto & imminuto operæ pretium facit.

§. XXX.

Bilis defectus ſupplendus.

Bilis recte conſtitutæ defectus, facit vt ex aſſumtis etiam gelatinoſis & optimis laudabilis chylus, ſuſtentandis corporis viribus, bonique ſanguinis prouentui maxime neceſſarius, minime paretur: vnde conſequitur totum corpus defectum illum luere debere, & nec ſecretiones, nec excretiones rite ſuccedere. Non hic amara pars bilis deſideratur, ſed omne

benefi-

beneficium expectatur a ſaponacea coniunctiua: quam omnium optime ſupplet vitellus oui crudus, quem toties iam laudauimus. Neque inuenio ex omnibus aliud magis proficuum ad deſideratum ſcopum. Ipſius bilis vitium corrigendum, iam tranquillis rebus, melius adgredimur, tuncque ſpaſmodicam ductuum bilariorum ſtricturam tollentia tam interna præſidia, quam externa, vtiliſſime adhibebuntur. Fallor, an DIOCLIS, quem ſupra laudauimus, antiquiſſimi auctoris, remedium ex vitello oui cum pauxillo myrrhæ vino bono dilutum dicenda eſt medicina ſcopo bilem ſupplendi commodiſſima: nam vini medicus vſus morbo huic accommodatiſſimus eſſe deprehenditur.

§. XXXI.

Exulcerationis cura gerenda eſt.

Sextæ indicationi, quæ inteſtinorum exulceratorum cuam gerere præcipit, probe quidem iam ſuccurrit modo laudatum remedium ex vitello oui cum myrrha: ſed & alia huc quadrant, quæ iam inter enemata iniicienda indicauimus. Seorſim laudem meretur ſuccus ex contuſis gammaris ſeu cancris fluuiatilibus expreſſus cum iuſculis per os ſumendus, & enematibus addendus. Illæ etiam pultes cum lacte coctæ, addito nucis moſchatæ vel macis puluere, inteſtinis valde conducunt: quin ipſum vinum moderato vſu indulgendum, optimi traumatici partes implet. FABRIC. HILDANVS *libr. de dyſenteria cap. 9.* commendat linctum ex oleo amygdal. dulcium cum ſaccharo ad electuarii formam redactum, cui olei recentis ex vitellis ouorum expreſſi tantillum miſcet. VALERIOLA *libr. III. obſ. IV.* laudat medicamentum a femina quadam acceptum, quod mirabile vocat. Scilicet pomum integrum intus excauatum cera optima repletur, impoſitoque operculo prunis admouetur aſſandum, vt pomi caro a cera penetretur. Hoc ita paratum pomum ante ci-

bum esitare iubet, fructumque conspicuum in intestinorum vlceribus glutinandis ab eo exspectare. NICOL. CHESNEAV magnis laudibus extollit decoctum radicis aristolochiæ rotundæ & foliorum ophiogloſſi, aut horum loco radicum consolidæ maioris cum vino albo factum, & saccharo ad gratiam edulcoratum, quod tamen per os potius assumendum, quam clystere iniiciendum commendat, tamquam spectatissimæ virtutis traumaticum huic morbo accommodatum.

§. XXXII.

Fluxus tutissima ratione compescendus.

Vti ipsemet fluxus, quam primum tempestiuum est, tutissima ratione compescatur, septimo loco videndum proposuimus. Illustris BRVNNERVS *in Ephem. A. N. C. dec. II. A. VI. p. 392.* illud quod requirimus, tempestiuum ita denotat: *Sponte cessat excretio, postquam venenum aut abactum aut subactum desæuit. Adeoque lupum stabulo includunt, qui adstringentibus hic certant: pernicioſi autem sunt, qui purgantibus intestina lacerant, & inflammationem accelerant.* Quando itaque hoc tempus expectauimus, quod dierum numero vix præfiniri potest, sed ex cessatione dirorum symptomatum cognoscitur, vix indigebimus aliis remediis nisi quæ similia sunt præcedentibus, & intestinorum exulcerationi penitus consolidandæ inseruiunt. Nam ab illis spaciis, quæ valde sensibilia esse necesse est, recrudescere identidem dolores & tormina necesse est, quoties aliquid vel durum, vel quodcunque acre & salinum illa attingit. Veteres plurimum hic tribuebant lacti crebra chalybis candefacti extinctione medicato: quod JO. CRATO suspectum reddidit *lbr. V. conſ. 22.* cuius iudicio eodem æuo steterunt PLATERVS & FABRIC. HILDANVS. Ipse CRATO plurimum tribuit pulueri tragacanthi, cum tantillo nucis moschatæ & corall. rubris. Pro tragacantho aliis placet gummi arabicum. In certa quadam

dam officina vidi tales pilulas contra dyſenteriam: concharum præparatarum drachmas quatuor, adde gummi bdellii drachmas duas, tragacanthi drachmam unam, maſtiches drachmam dimidiam, camphoræ gr XII. Doſis eſt drachma vna.

§. XXXIII.

Idem per externa fieri poteſt.

Externis hic aliquando locus eſt, præſertim vbi interius tanta eſt ſenſibilitas, vt ab aſſumtis ad certa ſpacia peruenientibus irritatio manifeſta dolorifica ſubſequatur. CRATO commendat emplaſtrum de cruſta panis aut diaphœnicon: quibus addi, pro iudicio medici, poſſunt illa de baccis lauri & de hyoſcyamo. Si vnguentum magis placet, illud, quod vocatur Comitiſſæ, idoneum erit. In caſu deſperato, vbi longo tempore nihil proficiebat in fluxu cohibendo, hoc profuiſſe euporiſton percepi: oui recentis tam albumen quam vitellus, butyri inſulſi ſuper ignem liquati ſufficienti quantitate immittatur ac ſine agitatione ad mediocrem duritiem frixetur: frixo inſperge puluerem nucis moſchatæ, ac calidum, vt ferre ægrotus poteſt, impone vmbilico. Effectus erat omni expectatione ſuperior, & quum ſemel iterumque fuiſſet adhibitum, rem omnem ad votum peregit.

§. XXXIV.

Quid ratione febris obſeruandum.

Abſoluimus quæ ad indicationes curatorias dyſenteriæ pertinebant. Quum vero illa plerumque ſociam habeat febrem acutam malignam, ipſa dyſenteria periculoſiorem; hæc quidem tractationem ſollicitam, ex indole ſua, poſtulat, ne ægrotum iugulet. Indoles autem frequentiſſime eſt maligna petechizans, quæ nihil patitur exagitari, ſed blanda inuoluentia miaſmatis ſui halituoſi requirit, cum excretionum libertate & perpetuo ſucceſſu. Bene igitur conſpirat hæc febris tractatio cum dyſenteriæ ſecunda indicatione. Facile itaque erit ita ordinare remedia, vt dyſenteriæ ac febri æque

conue-

conueniant. Sed quum hic ordiri febris tractationem nimis longum esset, excusatus ero, si hoc labore hic supersedeam, & omnium præceptorum ac cautelarum in febris huiusmodi curatione necessariarum obseruationem, ex proprio loco petendam, medico dysenteriam cum tali febre complicatam curaturo commendem.

§. XXXV.

Iudicium de quibusdam sic dictis specifics.

Supereſt, vt censum instituamus quorundam remediorum, quæ præter reliqua exserto digito monstrantur & commendantur a quibusdam auctoribus non proletariis, sed senatus medici proceribus. Fere specificorum nomine ornantur, quum pleraque tamen facile reuocari ad classes ordinarias remediorum possint, & conspicuum sit vel demulcendo & incrassando absorbendoque agere, vel plus minus adstringendo. Sic priapus cerui, ceti, tauri, si rasura eorum committatur decoctioni vt vehiculis potionum aut emulsionum seruiat, parum superabit gelatinam cornu cerui, eboris, aut taurocollam vel ichthyocollam, quæ superius laudauimus. In puluere dari quidam præcipiunt ad drachmam vnam. Non potest non talis puluis, in locum calidum & humidum delatus, inflari & augescere, moleque sua aucta imbibere multum aeris & halituosi, vt hoc pacto facilius per intestina ad exitum deuoluatur: vnde accedet ad fructum, quem ab incrassantibus & inuoluentibus exspectandum commendauimus. Aliqui etiam excrementa canum alba, quæ ossium digestorum reliquiæ sunt, valde commendant. Abominabile remedium elegans medicus facile permittet illis, qui hominis dignitatem non iusto pretio æstimare didicerunt, ipse vero contentus erit cornu cerui decoctione emollitum & mucilaginis parte orbatum, sicque porosum redditum: quod in quouis affectu, vbi halituosa miasmata inuoluere oportet, egregi-

egregium eſſe & experientiæ credo & inſigni commendationi, quæ legitur *Miſcell. Acad. N. C. Dec. I. Anni VI. p. 186.* Hepar ſerpentum exſiccatum & in puluere datum, vt & ſanguis exſiccatus variorum animalium & in puluere exhibitus, aſſequuntur effectum priaporum de quibus antea dicebamus.

§. XXXVI.

Inter dyſenteriæ remedia a multis multum tribuitur nuci moſchatæ. PAVLVS *de* SORBAIT medicus Viennenſis *operum pag. 417.* ita ſcribit: *obſeruauimus quosdam ſolo vſu, ſed frequentiſſimo, nucis moſchatæ dyſenteria fuiſſe liberatos.* Enimuero infidum eſſe remedium docere poteſt caſus, quem ab Excell. D. D. SCHVLZE mecum communicatum, exhibeo. Illuſtriſſima quædam femina ſecum habebat cognatam ſex vel ſeptem annorum, quæ dyſenteria ſatis maligna corripiebatur. Toto morbi tempore pro tenerrimo in hanc ægrotam amore ſaluti eius aſſiduo inuigilabat, neque vmquam ab ea diſcedebat. Quum ſe eodem malo correptam ſentiret, tam large nucem moſchatam ingerebat, vt breui tempore non pauciores duodecim conſumeret. Sic ſuppreſſa magis quam percurata dyſenteria tandem tamen erumpebat. Scilicet febris eam corripiebat maligna, quæ mox primis diebus purpura alba & petechiis prodeuntibus malum ominabatur, quod & ſuperueniebat ſatis tempeſtiue prorumpentibus deiectionibus crebris torminoſis, ſub quorum vigore omnia, quæ in cute exſtabant, tam exanthemata, quam ecthymata retrocedebant, & optima femina magno ſuorum luctu vitæ huic eripiebatur. Ex quo diſcimus non ſatis fidum morbi huius præſidium a nuce moſchata exſpectari.

In ſpecie de N. M.

§. XXXVII.

Cryſtallum montanam præparatam, ſmaragdumque aliqui laudant, tamquam ſacram anchoram: alii florem ferri

Cryſtallus montana,

smaragdo, flore ferri & adamante.

Stiriacum: rursus alii adamantem tenuissime pulueriſatum. Non video quid medicum cogat ad tam dura & menſtruis noſtris inuicta, vix omnibus etiam parabilia, progredi, quum proſtent ſatis multa alia. Adamantem medicus prudens etiam propterea negliget, ne calumniæ pateat, ſi quid ſiniſtrum euenerit, quum a magnis viris catalogo venenorum & dyſenteriæ grauiſſimis cauſis, inſertus ſit. Cryſtallum montanam ob ſtanni conſortium aliqui reddunt ſuſpectam: flos ferri ad eius naturam proxime accedit, ſed martialis naturæ eſt: quibus ſunt vires adſtringentes; ſed his non opus eſt, vbi adſtrictionis penus ſatis adeſſe conſpicimus.

§. XXXVIII.

Denique de Simaruba.

Venio tandem ad nuperrime commendatum ſpecificum antidyſentericum, corticem arboris Cayennæ, *Simaruba* dictum, de quo ex *Commerc. litterario phyſico-medico Norimbergenſi* ad me peruenit notitia, ex duorum Gallorum ſcriptis exhibita. Alter eſt vir Cl. Dom. JVSSIEV, qui ad Regiam ſcientiarum Academiam de hoc remedio, quod ſub nomine Maceris notum fuiſſe veteribus exiſtimat Anno 1729. retulit: alter equeſtri dignitate conſpicuus Dom. *des* MARCHAIS, qui commentarios de ſuis itineribus in Guineam, Cayennam vicinasque inſulas ſuſceptis ante hos tres annos publici iuris fecit. Refert autem Dom. JVSSIEV corticem hunc ſimilem eſſe tiliaceo, ſubamarum, aqua decoctum illam reddere albam, magis quam fit in aliis decoctionibus, ſpumidam & altius in vaſe aſcendentem. Corticis drachmas duas in aquæ heminis tribus eſſe decoquendas, donec quarta pars tantum ſuperſit, quæ in tres cyathos diuidenda iuſtam remedii doſin conſtituit. Effectum huius remedii perpetuum ac conſtantem prædicat in dyſenteriis pertinacibus, fluxibusque bilioſis, & ſanguinolentis, qui fere omnes tertio aut ſexto cyatho hauſto

ſto gradum ſiſtant. Nullam euacuationem ſurſum aut deorſum inſequi; vrinam maiori quantitate reddi, magisque coloratam, atque in nonnullis ſubiectis copioſos ſuperuenire ſudores. Vtile eſſe ante ſpecifici vſum generalia præmittere, &, vbi opus eſt, primas vias expurgare. Poſſe etiam corticem radula comminutum ad grana XII. aut XX. cum iuſculo aſſumi. Indos eundem cum pauxillo lactis acidi exhibere.

§. XXXIX.

Subiungemus, quæ ex laudati Equitis libro exhibentur, in compendiolum redacta. Deſcribit arborem, quam amaram dici memorat. Ad dyſenteriam curandam vel corticem radici detractum, vel ipſam radicem adhiberi. In puluerem, quam fieri poteſt, tenuiſſimum radendo redigi, ſicque comminuti grana XX, affuſa non multa aqua per X. vel XII. horas ſuper fauillis digeri, tumque ægroto, in quo prius ſanguis per venæ ſectionem minutus & aluus purgata eſt, exhibetur infuſio cum omni puluere. Decumbat ille lecto, ſeque quantum fieri poteſt, in calore contineat. Vomitus non ſubſequitur. Altero die idem medicamentum exhibeatur. Nutriatur æger iuſculis, cibis eupeptis, aſſis, quantitate modica oblatis. Vinum rubrum ſed probe dilutum conceditur potui. Grauiter pertinacem eſſe oportet morbum, valdeque inueteratum, qui non ſexies aſſumta medicina deuictus ſit. Diſſuadet auctor omnem alium exhibendi modum, & tanquam vates prædicit fore vt medicamentum in Europa pollicitationem deſtituat, ſi pro more noſtratium eſſentiæ vel extracta inde fiant, aut cum aliis coniunctum exhibeatur. Hinc enim fieri vt optima remedia, quæ inter Indos efficaciſſima ſunt, in Europa mox negligantur & obſoleſcant. *Alia hiſtoria Simarubæ.*

§. XL.

Prudens monitum generoſiſſimi equitis æqui bonique conſuli- *Differentia*

dysenteriæ Cayennensis & nostræ.

consulimus. Sed cum venia eius quærimus, an illa dysenteria, cui apud Indos tam certa efficacia succurrunt, sit eadem, quæ apud Europæos nostros deprehenditur. Vt dubitemus ipsemet relatione sua effecit. Scribit in hunc sensum: Pessimus est omnium morbus dysentericus, qui nullo temporis, quodcunque sit, discrimine habito nostrates Europæos occupat, febrium intermittentium tergo inhærere solitus. Causam habet immodicum vsum fructuum huius regni: neque raro subsequitur nimiam aquarum, tam fontium, quam fluuiorum, sitis compescendæ causa ingurgitationem: maxime tamen ex intemperanti aquarum, quas vitæ vocant, liquorumque spirituosorum vsu contrahitur. In hac descriptione morbi istud notandum, quod dysenteria Cayennensis nullum certum tempus seruat, adeoque non habet causam populârem: quod intemperantiam potissimum, & errores diæteticos subsequitur; quum Europæ cum intemperantibus etiam temperatissimos aggrediatur, rarissimeque alio quam tempore supra descripto grassetur, & non tam sublequatur febres intermittentes, quam præcedit exanthematicas. Opto quidem ac vehementer cupio Simarubam dysentericis in Europa plurimum prodesse: magnopere tamen vereor vt spem factam sustinere valeat.

§. XLI.

Clausula.

Atque hæc nunc sufficiant de dysenteria dicta. Beneuolum lectorem rogo velit primitias has nostras æqui bonique consulere, suoque fauore supplere, quod a me minus vel recte vel sufficienter dictum existimabit. DEVM autem rogo velit conatibus meis practicis fauere, vt plurimis prodesse valeant.

FINIS.

CLARISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

MEdendi artem ob fallacem experientiam & judicandi difficultatem neque minus ob præcipitem occasionem periculosam esse, ipse Hippocrates statim in limine aphorismorum aperte confiteri non veretur. Quamvis vero post ejus tempora salutaris hæc disciplina paulo altius & majori studio agitata fuerit, & per tot egregia in anatomicis, physicis, & chymicis inventa magnum ceperit incrementum; nihilo minus adhuc & sæpius cum animi dolore animadvertimus, plurimos Medicorum, inscios tamen, & præter omnem intentionem atque opinionem, in gravioribus morbis plus subinde nocere, quam prodesse. Cujus rei plures mihi suppetunt causæ: Primum quod in hoc sontico præjudicio plurimi hæreant, ea quæ semel & iterum in morbo quodam curando profuerunt, aliis eodem affectu laborantibus nocere non posse: deinde quod perpauci intelligant, vires remediorum non esse absolutas, sed conditionatas & relativas, adeoque naturas ægrotantium, ratione imbecillitatis, vitium, ætatis, structuræ corporis, & habitus animi, consvetudinis, vitæ generis, cœli, anni temporum, non probe in-

vicem discernant; neque attendant, quod complura sint in humano corpore, quæ optimorum etiam præsidiorum vires augere, imminuere, mutare, atque etiam pervertere possint. Tum accedit etiam illud: quod activioris indolis remediis, quorum legitimus usus magnam desiderat prudentiam, utantur, ubi tota curatio blandioribus & naturæ amicis, & maxime beneficio temporis & naturæ roboris absolvi posset; postremo denique, quod multitudine remediorum utantur, eaque citra rationem sæpius mutare non vereantur. Ex quibus omnibus satis liquido intelligitur, medendi scientiam non tam facilem & opere expeditam esse, atque intra tam breve temporis spatium, uti quorundam pessima est opinio, addisci posse; sed potius firma & rata hæc mihi constat sententia: Medicum per totum vitæ tempus debere esse studiosum, h. e. continuis observationibus & meditationibus in artis exercitio indulgendo & insistendo se reddere debere perfectiorem. Laudo itaque & insigniter approbo eorum, qui sacris hisce se manciparunt, instituta, quando non per unum vel duos, sed perplures annos in Academiis agunt, & saluberrima præcepta a peritia & doctrina insignibus viris diligenter hauriunt. Quo nomine Tibi Clarissime Dne. Candidate *etiam gratulandum esse existimo, quod per quinque continuos annos magna & laudatissima industria nostris & aliorum doctissimorum virorum institutionibus interfueris, & nihil prætermiseris, quod ad solidam in arte nostra eruditionem com-*

pa-

parandam ullo modo pertinet. Hinc ſpe alor ac ſuſtentor indubia, fore ut divina ulterius adſpirante gratia ex ſtudiis Tuis *laudatiſſimis cum ſingulari morum modeſtia & honeſtate junctis, & reſpublica Medica & miſeri ægrotantes ac patria fructus expectare ac repetere poſſint exoptatiſſimos. Quod faxit divinum Numen,* Tibique *omnia proſpera & bona, & auſpicatos in artis excercitio nunquam non ſucceſſus largiatur. Vale. Dab. Hal. d.* 1. *Maji* 1734.

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

DN. ANDREÆ SOTERIO

CIVI ET AMICO SVAVISSIMO

S. E. O. D.

MARTINVS SCHMEIZEL

Sac. Reg. Maj. Pruſſicæ a Conſiliis Aulicis, Juris Publici ac Hiſtoriarum Profeſſ. Publ. Ordinarius.

EXitus acta probant! *ſic ego cum Poeta ut* TE, Candidate Doctiſſimæ, *alloquar, haud unam penes me cauſſam eſſe ſentio: hoc enim demum laudis eſt, rei alicujus implere menſuram & hominum oculis exponere in fine, quod ſub initium aut anceps viſum, aut natura rei ſui exigente, latere ſaltim debuit. Quinquennium eſt, Amice ſuaviſſime, ex quo hanc toto urbe celebratiſſimam muſarum ſe-*

ſedem ingreſſus es; quod temporis intervallum ita revera collocaſti. ut exitus jam clare ſatis comprobet, TE *non inerti ac inglorioſa ratione vitam transegiſſe, ſed ea induſtria & laudabili impetu ſtudiis incubuiſſe, quo ingenia ad laudem & virtutem erecta ferri agique aſſolent. Equidem multi in arte illa ſalutari operam navant, ejusque doctrinas animo complecti nituntur; verum quia idonea manuductione deſtituti ſunt, a veris fontibus aberrantes, e lacunis & ineptiarum ſordibus hauriunt, quicquid hauriunt; inſuper, quia nulla imbuti Philoſophiæ ſcientia, præſertim ea, quæ rerum naturalium cauſſas perſequitur, & in demonſtrationibus verſatur, in cortice hærere numerumque circumforaneorum adaugere coguntur, maximo cum ſui tum aliorum diſcrimine & detrimento. Longe aliter* TV, *Amice chariſſime, in ſtudiorum curriculo verſatus es, qui Doctoribus Prytanei noſtri toto orbe celeberrimis uſus, ſolidis medicinæ fundamentis innutritus es luculenter; ſatur proinde bonis & genuinis medicinæ doctrinis jure cathedram aſcendis, publicumque eruditionis Tuæ ſpecimen profers. Gratulor itaque promeritos exinde honores, Deumque altiſſimum precor, ut iter, quod ad patrios lares ingrederis, illo duce, comite fortuna emetiri, patriæque ſalvus & ſoſpes redditus, per multos annos publico prodeſſe uberrimosque fructus laborum deportare queas. Vale ac memor noſtri ex voto omnia age. In Academia Fridericiana A.O.R. MDCCXXXIV. ipſis Kal. Maj.* NO.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE, D. & Pr. P. O.

ETsi aliquantulum occupatus, non possum tamen, quin TIBI, ad honores Doctorales, post editum specimen inaugurale, progressuro, gratuler, quantumque feliciter confecto academicorum studiorum curriculo tuo gaudeam, paucis verbis exponam. Non passus fuisti, quanto tempore TE cognoui, vt quisquam esset, qui TE vel assiduitate vel modestia vinceret. Non solum prælectionibus frequentissime adfuisti, verum etiam studiosissime inseruiisti illis, qui in palæstra disputatoria ad disserendum TE inuitauerant: probe memor hunc maxime locum esse, quo deceat ingenii ac iudicii vires explicare, seseque præparare illi pro laurea impetranda certamini, quod medico futuro subeundum est, si moribus maiorum bonisque legigus cupit satisfacere. Neque his acquieuisti, quæ scientiam augent & facundiam, verum quoque diligentissime memor fuisti omnia discenda esse medico, vt exercere possit, & artis documenta dare in ægrotantium salute reparanda. Non itaque graue duxisti pauperculis hominibus, morbo quodam afflictis, operam nauare, quid patiantur exquirere, eisque medicinam, quam præceptores optimam iudicauerant, elargiri: vt effectibus

erum obſeruatis tanto magis proficeres. Ita comparatum TE quantum profeceris numquam pœnitebit: certoque ominor fore, vt patria in TE acceptura ſit virum, cui ſalutis ſuæ curam tuto quiſque poſſit committere. Supereſt, vt proſperrimos TIBI ſucceſſus, & omnis generis felicitatem, diſceſſuro apprecer, noſtrique memoriam commendem. Vale. a. d. I. *Maji*
MDCC XXXIIII.

QUantus apud Medicos ſit Celſus cuique patebit,
Zwinger cum merito numinis inſtar habet:
Quæ ſcriptis etenim doctis monimenta reliquit
Ingenii fœtum dixeris eſſe Jovis.
Cujus in articulis oracula ſacra leguntur;
Omnia nam clare, quæ latuere, docent.
Hinc excelſa nimis Tua laus Doctiſſime Celſe
Teque piis votis Turba Togata colit:
Non Tua, qui Celſi ſanctiſſima templa frequentas
Ac excelſa ſtudes laus minor eſſe poteſt.
Aſſecla qui Celſi genuinus es atque peritus,
Candide SOTERI, par tibi palma viret.
Namque ſalutares membris adhibere medelas
Edoctus medicam cuilibet addis opem.
Perge Tibi praxin amplam precor atque ſecundam;
Succedant manibus proſpera quæque Tuis.

Hæc in honorem Clariſſimi Nobiliſſimique Dni Doctorandi tenui avena fundebat

DANIEL FRONIVS.

Nobili-

NObilibus titulis, *Illustris Doctor*, honorem,
Quem capis, ornarem, *Decus* admirabile nostri
Ac *Lumen* secli: sed splendidiora videbor
Lumina purpureo verbis superaddere velle
Phœbo, qui toto splendet nitidissimus orbi.
Indolis ergo TVAE studiosis omnibus vnum
Exponam nomen; SOTERIVS Alme, vocaris.
O pulchrum nomen! diuinus origine DOCTOR,
Sedibus ætheriis *nomen* traxisse videris,
Quum TE *seruandum* diuina propago crearit,
Ac *seruaturum* patriæ nunc mittat *Apollo*.
Seruaturus abi *seruans* quæ parta labore
Seruatusque nouum teneas *Nomenque Decusque*.

Paucula hæcce Clarissimo & Doctissimo Dn. Doctorando Amicorum optimo gratulabundus adjecit

SAMVEL de DRAVTH,
Corona-Transiluanus. M. C.

HAec, SOTERE, TIBI sinceri pignus amoris,
Imparibus scribo verba ligata modis.
Accipias istihaec subitis properata lituris,
Tempore quo praesens nulla Camaena fuit,
Quae mihi comta satis praeberet verba loquenti,
Materia vires exsuperante meas.
Haud ignota loquor: dant ardua præmia Musae
Nunc bene pro meritis, DOCTOR amice TIBI
Digna corona micat TIBI nunc doctissime DOCTOR,
Quo *labor* & *virtus praemia digna* ferant.
Splendeat hinc orbi Tua laus: Tua fulgeat urbi
Virtus, succedant prospera quaeque precor.
Nestoreos vivas annos, patriamque decores,
Alter & HIPPOCRATES qua patet orbis eas.

Qua patet orbis eas : ſit mens ſit amica voluntàs
Vt TVA grata mihi, ſic mea grata TIBI.
Hanc ego, ſeu ferar extremos vagus exul ad Indos,
Seu mihi dent certum fata benigna locum,
Ex ſtudiis ortam melioribus, auſpice Chriſto
Dum mihi ſervabo, vita ſuperſtes erit.

Sic Soterio Suo gratulabatur ſincerus

JOANN. WALLASKAY,
Neogr. Peſtenſis Pannonus.

QUalis & eſſe jubes, & eris, qualisque futurus
Teſtatur nomen mens generoſa TVVM.
Non tam de fieri, facto quam de TIBI grator,
Facta creata ferent munera, docta TVA.
Perge bonis avibus : SOTERIA multa ſequentur
Commiſſis curæ conſilioque TVO.
TV gratus venies (venias redeundo ſuperſtes)
Vt Patriæ Doctor, ſic mihi junctus amor.

Quod leviſſimum diſtichorum Quadrum adſpirandis honoribus Nobiliſſimi Doctiſſimique Dn. Candidati *Contubernalis ſui in curriculo accademico quondam æſtumatiſſimi fugitivo calamo gratulabundus adjicere voluit*

INTEGERRIMÆ SINCERITATIS
CULTOR.

INclytus Aeſonides natam ſeduxit Aëtæ,
Venit & auratæ vellere dives ouis.
Ardua præcipitis viſendo Cholchidis arua,
Medeam vexit Phaſide Puppe noua.

Sic

Sic noua per duros exercens membra labores,
Tandem magnanimus præmia læta capit.
Optime SOTERI! Tua cum Jasonis adæquo,
Ausa, Tuum merito nectit Oliua caput.
Numinis auxilio rutilum velut alter Jäson
Vellus habes, veniat cara Medea breui.

Ita applaudebat & gratulabatur Domino Candidato Doct. Amico suauissimo

MICHAEL ERHARDVS HANER,
Transilv. Medic. & Phil. Cult.

CHristus ubi *Andream* Galilæo in littore vidit
Squamigeros inter pandere lina greges.
Protinus assuetis exscendere jussit ab undis
Et nova cœlesti sub duce signa sequi.
Audiit *Andreas*, piscesque repente ratesque
Et fastiditæ lina reliquit aquæ.
Præstat id *Andreas* Halam cum laude relinquens
Omnibus instructus, quæ *Stagirita* docet.
Plus quam Cecropiis *Doctor* bene *Doctus* Athenis
Nunc offert patriis, quæ sibi parta, socis.
Gratulor ergo novos *Clarissime Doctor* honores,
Et precor, ut patriam sanus adire queas.

Pignus amoris impetratis summis Clarissimi Dni Doctorandi Honoribus adjectum a

J. G. de BAUSNERN,
Equite Transilvano.

SUdor, dexteritas & labor improbus
Felices pariunt tempore palmites,
Palmes pampineo semine surculos
Maturos retegit donaque Liberi:

Sic

Sic occulta diu gemma ſub æquore
Idaſpæa manet, clauſa ſepultaque
Terræ viſceribus minera cernitur.
Sed quid cura, labor cum ſtudio facit?
Mortales vegeti dona maris rubri
Nunc collecta vehunt, arva metallica
Nunc raſtris ſodiunt atque ligonibus.
Numquid plura loquar? dotibus inclytum,
Hæc ſi ſcire cupis, cerne SOTERIVM,
Fœtus ingenii qui vehit integri
Occultumque diu Chryſolitum gerit,
Quæ, ſi pro meritis præmia necterem,
Divinum Medicum non male dicerem.
Sed ſol quid radiis indiget exteris?
Clarus luce ſua ſplendet in æthere
Quàpropter querulo gutture gratulor,
Ac exulto Tuis lætus Honoribus:
Sis felix Patriæ Sidus & Optimum.

Accipe Fautor Honoratiſſime Mnemoſynon amoris, quod ponit Clariſſimi Tui Nominis Obſervantiſſimus

BRUCKNER.